

manus ædificare queat) sequitur aliquid esse in idea, quod non sit in causa exemplari, ac proinde mentem nostram posse plus sibi perfectionis repræsentare, quam reperitur in causa istius repræsentationis exemplari, cujus tamen causæ vice & loco est illa in mente repræsentatio. Idem judica de idea perfectionis, ad quam vitam suam conformare studet vir bonus, re (vitâ) semper deficiente ab idea, adeo ut possimus habere ideam talis ac tantę rei, qualis & quanta nunquam esse queat. Quę omnia dico non ex animi mei sententia, sed ad vim omnem, quam habere potest, allato contra me argumento dandam. Eodem fine sequentia considerata exhibeo.

3. Plato vulgò à Politicis censetur talem reipublicæ ideam animo concepisse, qualis dari inter homines nequeat. Scaliger in fine Exerc. 294. sic scribit: *addo, Homeri sententias adeo factas à Virgilio meliores: ut Baccho additam Herculis clavam & Leonis exuvias, meritò queas dicere. Talis tum verborum splendor, tum numerorum vis, majestas elegantia adjuncta est. Applico: fuit tamen Homerum secutus atque*

K

imita-